

Propositio 159.

Potest princeps auctoritatem pro se abdicare; sed sub regimine successionis hereditaria, nequit etiam pro successoribus jam natis abdicare.

Stat. quaest. 1) De alio modo transferendae auctoritatis, abdicatione, quaeritur, utrum et quomodo abdicare liceat. — Respondent varie varii: a) abdicare nunquam licere, quia hoc abjecti animi signum sit et majestatem principis dedecens; — b) licere, nisi quando abdicatio in magnum reip. damnum cedat.

2) Sed qui licitum dicunt abdicare, non consentiunt circa abdicationis extensionem, utrum pro se solo an etiam pro tota sua familia possit princeps abdicare: a) dicunt alii, theoriae contractus socialis adhaerentes, omnia in hac re a sola populi voluntate pendere; — b) alii: posse pro tota familia; — c) alii: posse pro omnibus filiis, sive nascituris sive jam natis sed adhuc sub patris potestate constitutis; non tamen posse pro filiis jam emancipatis a potestate paterna; — d) alii: posse pro omnibus postea nascituris, sed pro nullis jam natis.

Prob. 1^a pars (*potest pro se*). Omni homini licitum est suum vitae statum, suosque honores et potestatem deserere 1) ut alium statum perfectiorem, majorum virtutum exercitium aggrediatur, 2) vel ut majores difficultates, vel damna publica fractis jam viribus ob aetatem vel morbum, vitet; — a. princeps quoad haec non pejoris conditionis debet esse, nisi ex officio teneatur majus societatis malum ex abdicatione secuturum vitare; e.

Prob. 2^a pars (*potest pro nascituris*). Filii qui post abdicationem patris nascuntur, ex viro non jam principe sed privato nascuntur; e. neque jus successionis possunt a patre accipere quod pater non habebat; neque ex lege fundamentali in eos transfertur nondum natos auctoritas, quando eam pater sponte deponit.

Prob. 3^a pars (*non potest pro natis*). Filii ex principe nati statim jus certum habent, ut patri in auctoritate succedant, quando et quomodocumque pater eam amittat; a. hoc jure eos pater spoliare non potest; e.

Ad min. Auctoritatem ipse pater non jure proprietatis possidet, qua sicut aliis possessionibus utatur et disponat pro libero nutu; sed eam a societatis lege fundamentali tenet ad bonum commune gerendam, et secundum eam transmittendam; — filii autem jus succedendi a lege fundamentali tenent, non a nativitate, quae est potius conditio eos designans; e.

Schol. Quod de filiis nascituris post patris abdicationem, hoc non de filiis nascituris post patris injustam expulsionem dici potest, nam is manet legitimus possessor auctoritatis, licet ab ea exercenda impediatur injusta vi.

Propositio 160.

Pacto potestatem transferre in alium legitime non potest princeps, nisi successor legitimus vel nullus sit vel consentiat, et multitudo similiter consentiat.

Notiones. *Pacto*, i. e. venditione, donatione, testamento, etc...

In alium: qui aliunde nullo jure succedere posset.

Consentiat: sive expresse, sive aequivalenti tacita approbatione libera, sive necessaria interpretativa ex concretis adjunctis legitime praesumpta.

Prob. Auctoritatem suam princeps non jure proprietatis tenet, nec proinde de ea pro lubitu disponit, sed sunt aliorum aliqua jura circa eam, quae ipse violare nequit; a. illa jura secundum varias leges fundamentales reduci possunt ad jura successorum lege designatorum, et jura multitudinis secundum legem regendae; e. princeps per se solum non potest...

Ad min. Fieri potest ut secundum legem fundamentalem: 1) principi commissa sit designatio successoris; — tunc potest, quia consentit multitudo, et alius nullus est cujus jura laedantur;

2) ut societas sit sub regimine electivae successionis; — tunc princeps non potest..., quia jura certa sunt electoribus et populo, et illi quem electores elegerint; a. illa laederet princeps...

3) ut societas sit sub regimine successionis hereditariae; — tunc non potest princeps..., quia certa jura multitudini sunt ut ita regatur, et filiis jam natis, ut succedant; a. illa laederet princeps...

4) ut sub regimine hereditario extinguatur dynastia in aliquo v. c. sene, nec fuerit ille casus lege fundamentali praevius; — tunc sine multitudine nihil potest princeps, quia ipse nullum jus habet de auctoritate tanquam de proprietate sua disponendi; multitudo autem, deficiente omni particulari auctoritatis subjecto designato, est ex natura rei subjectum ejus sicut in primo ordine societate; e.

5) ut in casu aliquo extraordinario, societatis bonum evidenter exigat, et urgeat necessitas, ut alicui determinato transferatur auctoritas; — tunc princeps potest rationabiliter consensum multitudinis interpretari et praesumere; ipsa enim illum renuere tamen non potest, et de facto dabit.

Schol. *Quid de translationibus medio aevo fieri solitis.* — R. 1) His consensus tacitus populi communiter adfuit, licet aliquando aegre; quia usu communi acceptum erat; — 2) multae tunc societates non proprie civiles erant, sed heriles potius; quae paulatim postea ex adjunctis et gratia dominorum civiles factae sunt.

Propositio 161.

Injustum usurpatorem a potestatis possessione expellere licet populo, quoties est rationabilis spes felicitis exitus.

Notiones. 1) *Usurpatio* est injusta occupatio supremæ potestatis politice — *Potestas* hic intelligitur non *ipsa auctoritas*, nam hæc est jus dirigendi socios ad finem communem, nec potest sine contradictione concipi jus injustum seu injuste occupatum; sed intelligitur *complexus mediorum* ad dirigendam societatem seu ad exercendam auctoritatem.

2) Quia *usurpare* aliquid sæpe is dicitur, qui illud ad usum suum assumit, abstrahendo a justitia vel injustitia rei, propterea ad abundantiam claritatis, et ad præcavendam omnem etiam specietenus consensionem cum recentioribus rebellionum fautoribus, addimus vocem : *injustum*.

Prob. 1^a pars (expellere licet). Usurpator 1) tenetur semper ad restituendam potestatem legitimo principi; — 2) potest, imo debet, a subditis ad hanc restitutionem cogi; — *a.* huic officio usurpatoris ut restituat, et officio subditorum ut eum cogant, correspondet in subditis jus deturbandi eum et expellendi; *e.*

Ad maj. 1) Usurpator nullo jure potestatem retinet, sed injuria et vi; — 2) cives debent eum non ut principem sed ut hostem et perturbatorem habere.

Prob. 2^a pars (dummodo sit spes). In conflictu jus fortius prævalere debet; *a.* si insurrectio contra usurpatorem prævideatur inutilis fore, vel imo societati perniciosa, et usurpatori majorem vim ac ferociam collatura, in conflictum veniunt jus expellendi, jusque legitimi principis recuperandæ potestatis, cum jure majore societatis suam existentiam et tendentiam pacificam ad finem conservandi; *e.*

Objic. Cives non expellentes, etiam sine spe felicitis exitus, violant voluntatem et jus legitimi principis; nam is certe vult ut expellatur usurpator. — *R. n. ass. — d. rat. add.* vult ordinate, *n;* vult inordinate et perniciose, *tr.* (sed si ita vult, rationabiliter præsumitur interpretatio opposita, vel imo rationabiliter opponitur jus fortius collisum).

Propositio 162.

Usurpatori etiam injusto, quamdiu de facto potestatem retinet, tenetur populus in ordine civili obedire.

Notiones. *In ordine civili*, i. e. in iis quæ ad societatis directionem internam pertinent et ad bonum commune, v. c. legibus ab usurpatore latis ad bonum societatis; — non tamen *in ordine politico*, i. e. in iis quæ tenderent ad usurpatorem in sua potestatis occupatione confirmandum, ex qua potius expellendus est.

Prob. Licet usurpator ipse per se nullum jus habeat, societas tamen in

communi jus habet ut, quomodo potest, ad finem suum dirigatur; *a.* medium unicum ad hoc, dum usurpator potestatem retinet, est ut ejus ordinationibus omnes obediant; *e.* ad hoc omnes tenentur (non jure usurpatoris sed jure societatis ipsius).

Objic. 1^o Ex tali obedientia et adjumentis, v. c. vectigalibus, quæ inde usurpatori præstantur, ipse in potestate stabilitur. — *R. d.* per accidens aliquando, propter sociale bonum, et ex necessitate, *c;* secus, *n.*

Objic. 2^o Princeps legitimus non vult ut suo inimico obediatur. — *R. d.* rationabiliter non vult, *n;* forsitan irrationabiliter non vult, sed certe velle debet, *c.*

Coroll. 1^m Ergo si bellum ab hoste externo *contra usurpatorem* ut sic geritur, possunt et debent cives contra usurpatorem cum hoste externo pugnare, nisi ab hoc officio lege necessitatis, ob minacem usurpatoris potentiam, eximantur.

Coroll. 2^m Si vero bellum *contra ipsam gentem* infertur, tenentur cives usurpatorem contra injustam aggressionem juvare, ad conservationem et bonum societatis.

Propositio 163.

Fieri potest ut potestatis usurpator injustus, decurrente tempore fiat legitimus princeps.

Prob. Fieri potest 1) ut jus prioris principis ad auctoritatem extinguatur, et 2) ut populus consentiat usurpatori eam tribuere, sive explicite, sive tacite et implicite; *a.* tunc fit usurpator legitimus princeps; *e.*

Ad maj. 1) Extingui potest jus præcedentis sive per renunciationem, sive ablata omni rationabili spe recuperandæ potestatis quin majores perturbationes et periculum salutis publicæ incurratur (tunc enim in collisione cedere debet jus minus principis juri majori societatis).

2) Consensus, præsertim tacitus et practicus, facile obtinetur in illis adjunctis.

Ad min. Utrumque simul requiritur, nam nec princeps pacto dare sine populi consensu, nec populus dare quod legitimus princeps possidet potest. — Sed hæc simul sufficiunt, nam aliud nihil apparet quod requiri posset.

Coroll. Talis jurium extinctio per emortuam omnem rationabilem recuperandæ auctoritatis spem, ordinario nonnisi post longum tempus, sub successoribus tum principis tum usurpatoris, obtinetur; unde etiam dicuntur *per præscriptionem* (latiori aliquo sensu) veram auctoritatem acquirere.

Propositio 164.

Tyrannicus potestatis abusus non aufert per se auctoritatem summam a principe.

Notiones. *Tyrannis* latiori sensu est exercitium iniquum auctoritatis. Et ita dici etiam de usurpatione potest, nempe iniquum ratione originis. Sed

tyrannis proprie dicta est exercitium auctoritatis iniquum ratione modi quo exercetur : si societas dirigitur non in bonum commune, sed ad privatum alicujus emolumentum, v. c. legem fundamentalem violando, subditos gravioribus oneribus opprimendo, populi jura conculcando.

Stat. quaest. 1) Quaeritur utrum tyrannus amittat jus potestatis retinendae, et possit ea spoliari, et a quo.

2) Respondent recentiores : cum essentialis sit suprematia populi, posse a populo jure principes dejici, neque hanc esse rebellionem.

3) Respondet S. Thomas multimode distinguendo (Reg. princ. 1. 6. — 2. 2^{ae} 42. 2. 3^m) :

si non intolerabilis est tyrannis : ferenda est,

si vere intolerabilis facta est,

privato arbitrio nemo potest tyrannum expellere aut occidere (propter pessimas sequelas et pericula ex tali sententia).

publica auctoritate contra tyrannum procedendum :

si populus est sui juris (non dependens ab alia superiore potestate quae principem imposuerit), licet ipsi tyrannum destituere, quoties id sine majore calamitate, quam est ipsa tyrannis, fieri potest.

si populus est dependens ab alio superiore qui principem imponendi jus habeat, ab eo expectandum est remedium : et

si ipse ille superior tyrannice se gerit, recurratur ad ejus superiorem.

si alius superior jam non est, vel ipse tyrannice agit, nullum erit auxilium humanum, et recurrendum ad Deum omnium Regem.

4) Respondent Scholastici communius : a) cuilibet privato licet non solum repellere sed etiam occidere usurpatorem in ipso actu injuste arripiendi potestatem publicam ; — b) legitimum principem sed tyrannum, vel etiam usurpatorem postquam potestatem jam possidet, nullus privatus homo, sed aut superior potestas aut ipsum corpus sociale, potest deponere, expellere, et si opus sit, occidere.

5) Respondent catholici recentiores, *alii* : tyrannus qui fuerat a populo electus, potest a populo deponi, non vero qui auctoritatem titulo immutabili aut irrevocabili tenet ; — *alii* : nullo casu populus principem non usurpatorem potest propter tyrannidem expellere ; — *alii* : tyrannum incurabilem, quocumque titulo auctoritatem obtinuerit, populus deponere potest.

6) Responsonem nostram, Scholasticorum sententiam paulo mitigatam, hac et sequentibus propositionibus per partes exponemus. — Et hic primo contra eos qui opinantur rebellionem contra tyrannum non esse proprie rebellionem, quia ex ipsa tyrannide sua ille omnem auctoritatem amiserit ; non dicimus legi evidenter injustae esse parendum, haec enim nulla est ; sed dicimus non propterea tolli omnem, etiam circa alia, auctoritatem ipso facto.

Prob. Abusus auctoritatis eam tolleret per se, 1) aut quia per se destrueret titulum auctoritatis, — 2) aut quia intrinsece repugnaret auctoritatem permanere in homine qui ea sit abusus, — 3) aut quia abusus induceret per se incapacitatem recte deinceps utendi auctoritate, — 4) aut quia princeps post abusum mereretur auctoritate spoliari ; — a. nihil horum valet ; e.

Ad min. 1 part. (titulum non destruit). Titulus ille fuit factum aliquod concretum lege fundamentali, i. e. consensu multitudinis, sancitum ; a. hoc factum fuit, nec potest non fuisse ; e.

Ad 2 part. (non intrinsece repugnat). Non magis intrinseca contradictio in his apparet, quam in jure proprietatis vel alio quovis post abusum.

Ad 3 part. (non inducit incapacitatem). Haec incapacitas aut esset moralis aut physica ; — a. de morali quaeritur nunc, et rediret tota quaestio ; — de physica : dici nequit actu vel etiam habitu malo tolli libertatem omnem melius in posterum agendi ; e.

Ad 4 part. (non quia meretur poenam). Meretur quidem tyrannus puniri, sed a) nulla lex naturalis exigit ut statim illae poenae ab eo sumantur, et b) etsi exigeret, non tamen jam ipso facto et ex natura rei poenae fuerunt sumptae, et destitutus est tyrannus, sed essent sumendae, et ad summum destituendus esset ; e.

Propositio 165.

Ubi lex fundamentalis, in quam princeps juravit, statuit subditos in casu determinatae cujusdam tyrannidis, debito fidelitatis solvi, talem princeps abusum admittens, ipso facto auctoritate legitima excidit.

Prob. In tali societate, auctoritatem habet princeps ex pacto honesto cum multitudine ; a. tali pacto standum est ; e.

Ad maj. Lex fundamentalis exprimit multitudinis consensum conditionatum ; principis jusjurandum exprimit acceptionem hujus conditionis, et consensum mutuum ; conditio est per se honesta ; e.

Propositio 166.

Si princeps evidenter apparet societatis perniciem moralem aut ruinam materialem moliri, potest populus tyrannum deturbare et expellere, dummodo sit rationabilis spes felicitis exitus, et appareat tyrannis aliter incurabilis.

Notiones. 1) *Si evidenter apparet*, i. e. si omnibus notum, et quidem non ex aliquorum persuadentium orationibus et argumentis, sed ex quotidiana communi experientia obvium ac patens sit.

2) *Perniciem... aut ruinam...*, i. e. si vere societatis ipsa fundamenta subvertat, ea destruat media quae ad prosperitatem et ad tutamen commune necessaria sunt.

3) *Molitur*, sive ex obdurata mala voluntate, sive ex defectu perspicaciae, sive ex ignavi fiducia in ministrum indignum...

4) *Si incurabilis*, i. e. si nulla maneat fundata spes, principem ad rectam administrandi rationem aliis mediis revocandi.

Prob. 1^a pars (*potest populus*). 1^o Si princeps ipsam societatem perdere molitur, haec constituitur in conditione legitima defensionis bonorum ipsi vitae moraliter aequivalentium, et urgentis necessitatis ad eam defensionem recurrenti; *a.* in casu legitima defensionis licitum est, medio quo possit, se tueri, servato tamen moderamine inculpatae tutelae; *e.*

Prob. 2^o Auctoritas in oriente societate fuit a multitudine principi concessa, et simul statuta lex fundamentalis quoad successorum designationem; *a.* ille populi consensus principem exaltans et successores designans, non nisi conditionatus esse potuit, ut nempe societatem princeps dirigeret, non ut eam destruat; *e.* si huic conditioni evidenter et plene deficit princeps, potest populus suo consensui deficere tanquam non amplius valido.

Prob. 2^a pars (*dummodo spes*). Jus insurgendi contra tyrannum non datur nisi ad defendendum bonum publicum; *a.* si rationabilis spes felicitis exitus deest, non bonum defenditur sed potius mala et calamitates majores excitantur; *e.*

Ad min. Gerenda erunt atrociora bella civilia, quorum eventus non satis certus; — si vicerit tyrannus augebitur vindicta et tyrannis; — saepe expulsio tyranni societatem maximis malis obnoxiam relinquet: anarchiae, turbis, usurpationi novi forsitan peioris principis...

Prob. 3^a pars (*aliter incurabilis*). Si qua manet alia spes curationis, jam non necessaria est expulsio; *e.* neque ullum jus manet rebellandi et expellendi.

Coroll. 1^m Ergo etiamsi multi fuerint principis actus tyrannici, vel etiam habitualis tyrannis, partialis tamen, quae non totam societatem molitur destruere, licet mala multa inferat, non licet eum expellere, quantumcumque sit multitudo insurgentium, quia sufficientes causae desunt.

Coroll. 2^m Ergo contra tyrannidem partialem resistere licebit passive, non active; ceterum passiva resistentia si generalis est, satis superque est efficax.

Objic. 1^o Per hanc doctrinam omnes perturbationes cohonestari possent. — *R. d.* per abusum, *tr.* servatis conditionibus quas exigimus, *n.*

Objic. 2^o In omni lite requiritur sententia juridica; *e.* et hic. — *R. n. par.* (supponitur tyrannis intolerabilis et omnibus evidens).

Objic. 3^o Expulsio est actus supremae auctoritatis; *a.* hanc, populus non habet; *e.* — *R. 1) n. maj.* (est actus propriae defensionis, quod jus nemo amittit). — *R. 2) tr. maj.* — *d. min.* non habet quamdiu princeps tolerabilis est, nec potest eam resumere, *c.* si fit princeps intolerabilis, populus non potest sibi primitivam auctoritatem resumere, quam princeps jure amisit, *n.*

Objic. 4^o Nullum superesset in tali depositione jus discernendi cuiusnam deferenda sit auctoritas. — *R. n.* (populus sicut in nascente societate eam jure suo conferet).

Objic. 5^o Supponit ergo haec sententia principatum populo essentialem! — *R. n.* (supponit dumtaxat propositiones 150, 154, 155: cfr. supra).

Objic. 6^o Solus princeps jus habet et possidet ordinandae societatis. — *R. d.* quamdiu societatem servat, vel tolerabiliter regit, *c.* si eam intolerabiliter subvertit, et ita per suam pravitatem juri suo renunciasset censendus est, *n.*

Objic. 7^o Nulla erit norma qua de casu tyrannidis judicetur, nullus iudex, nullus certus modus. — *R. n. supp.* (requiri normam iudicii, vel iudicium alicujus tribunalis, vel modum et formalitates aliquas iuridicas, ubi est omnibus evidentiis, et necessitas propriae defensionis).

Propositio 167.

Societas non habet per se jus tyrannum plectendi poena capitali.

Notiones. *Per se*, i. e. non potest sententiam capitis in eum ferre, nec eum ad mortem quaerere, nec a fortiori licebit privato homini tyrannum occidere; uno verbo, nihil in vitam tyranni quocumque modo machinari nec societas nec quisquam privatus potest. — Sed si *per accidens* occideretur tyrannus, dum nempe in acie contra rebelles pugnaret, haec non *poena capitalis* vel *occisio* dicenda erit, sed *belli eventus*.

Prob. Jus occidendi oriri nequit nisi 1) ex jure propriae defensionis, vel 2) ex jure necessitatis, vel 3) ex jure inferendi justam poenam; — *a.* hic nihil istorum valet; *e.*

Ad min. 1 part. (defensionis). Supponitur princeps jam efficaciter ex potestate dejectus; *a.* defensio physice et moraliter cessavit cum aggressione; *e.*

Ad 2 part. (necessitatis). Patet nullam urgere necessitatem mortis tyranni post ejus dejectionem.

Ad 3 part. (justae poenae). Jus infligendae poenae pro sceleribus commissis, non infert facultatem infligendae poenae capitalis, nisi quatenus haec necessaria sit; *a.* hic necessaria non est, ne ad exemplum quidem aliorum tyrannorum (nam sufficit expulsio); *e.*

QUAESTIO 3.

De ordinatione societatis civilis, seu de officiis et juribus supremae auctoritatis.

Quid circa internam ordinationem societatis, ab auctoritate suprema procurandam, optabile, quid possibile, quid necessarium quoad practicum regimen sit, nunc disquirendum est. Munera igitur et varia jura principis in genere tum magis in specie, quae sicut et quanta sint, stabilire conabimur. Quam ob rem erunt:

- Articulus 1. De summae potestatis munere in genere.
 Articulus 2. De jure restringendi libertatem sociorum.
 Articulus 3. De potestate legislativa.
 Articulus 4. De potestate executiva.
 Articulus 5. De potestate judiciaria.

ARTICULUS 1.

De summae potestatis munere in genere.

Propositio 168.

Munus auctoritatis politicae proprium est, prospicere libertati et efficacitati tendentiae sociorum in finem societatis.

Stat. quaest. 1) Quaeritur circa rationem generalem administrandi munus proprium auctoritatis summae civilis. Clarum est ex ipso fine et natura hujus auctoritatis, munus ejus esse ut socios dirigat ad bonum sociale, neque hoc jam probandum est. Sed quaeritur quae et qualis directio illa esse debeat.

2) Respondent qui *centralismum* volunt: munus illud esse, ut auctoritas omnia organa dirigat, non solum ad bonum commune totius societatis, sed etiam ad finem singulorum specialem, ita ut haec motum omnem a suprema potestate accipiant, hujusque fiant vel instrumenta vel functiones executivae.

3) Respondent qui *individualismum* volunt: munus illud consistere in influxu mere negativo, scilicet a) ut organa tuta praestet ab hostibus tum externis tum internis, b) ut singulas functiones sociales impediatur ne ita excrescant ut aliorum organorum functiones rite exerceri nequeant.

4) Respondemus, medium tenentes, munus esse ut organorum operationes dirigat ad bonum commune: a) *directione negativa*, i. e. defensione ab hostibus externis et internis, et cura ne alicujus organi exercitio impediatur vel absorbeantur exercitia aliorum organorum; — b) *directione positiva*, i. e. *stimulando* singula organa ut suum quodque finem gnaviter prosequatur, et *influendo* positive ut suum quodque finem prosequens, ad bonum commune societatis totius vere conferat; — c) non vero *immixtione* qua velit singula organa ad finem cujusque proprium specialem dirigere.

Notiones. 1) Illam directionem *negativam* exprimit in propositione vox *libertatis*, *positivam* autem vox *efficacitatis*.

2) *Organa societatis* hic intelliguntur variae multae partes societatis civilis, quae ad singulos proprios fines agunt propria sponte (cfr. prop. 146), quae in societates minores et classes ordinandae sunt (cfr. prop. 147).

Prob. Illud, et quidem solum, munus auctoritatis politicae est, ad quod auctoritas in societate politica naturaliter requiritur; a) ea requiritur: 1) non ut organa inferiora dirigat in suum cujusque finem particularem, 2) sed ad

eorum defensionem et harmonicam coordinationem, 3) et ad stimulum languentium, et concursum omnium ad finem socialem; e.

Prob. min. 1 part. (*non ad suum cujusque finem*). Ad hoc ipsa organa abunde sufficiunt, imo, si debita libertate donantur, melius quam ipsa auctoritas summa; e.

Prob. min. 2 part. (*ad defensionem et coordinationem*). Ad haec duo per se sibi non sufficiunt singula organa; a) ea tamen ad bonum societatis et imo ipsorum organorum necessaria sunt; e.

Prob. min. 3 part. (*ad stimulum et concursum*). Ad bonum commune necessarium est a) ut non languescant varia organa et b) ut concurrant ad bonum commune; — a) a) si quando languet aliquod organum, ideo languet quia sibi hoc tempore per accidens non sufficit, et aliunde stimulandum est, — b) concurrere ad bonum commune aliorum organorum, non est finis proprius ad quem per se tendat aliquod organum, sed ad hoc dirigendum est; e.

Coroll. Ergo non potest auctoritas politica: a) destruere organa quae forte in societate jam existentia invenit, — b) impedire organa quominus libere agant, nisi fini societatis obsistant, — c) per se fungi officio organorum.

Propositio 169.

Si quando particularia organa societatis necessaria deficiant, auctoritatis est ea supplere, non per seipsam eorum functiones exercendo, nec per seipsam ea organa creando, sed cives stimulando ut ipsi talia organa creent.

Prob. 1^a pars (*debet ea supplere*). Ad bonum commune et finem societatis necessarium est ut existant organa varia quae ad illum concurrere debent; a) munus proprium auctoritatis summae est illa omnia procurare quae ad eum finem concurrere debent; e) si quod tale organum non sponte nascatur et sufficienter evolvatur, auctoritatis est illud supplere et procurare.

Prob. 2^a pars (*non..., nec..., sed...*). Munus auctoritatis est ut prospiciat omnium libertati et efficacitati quoad tendentiam in bonum commune; et quidem ejus obligatio est ut prospiciat quo meliori modo potest; a) organa supplere melius, i. e. facilius et efficacius, potest si non ipsa auctoritas eorum functiones exercet, nec per seipsam ea creat, sed cives ad ea creanda stimulat; e.

Ad maj. Id quod *totum quantum* ad unum finem existit, ad hunc finem non solum natura sua tendit, sed et tendere debet, et, si optio datur, meliori modo possibili debet (nam ratio est cur eligat, nulla est cur non eligat id quod melius est).

Ad min. 1 part. (*si non... exercet*). Eas functiones melius et aptius exercent organa ad hoc apta et destinata, quam auctoritas quae natura sua ad hoc nec destinata, nec proinde aptis mediis donata est; nec imo jus habet per se alium finem particularem persequendi, praeter suum finem universalem ad quem solum tota quanta existit.